

36. Neque enim desunt rationes, quae pro utraque sententiâ haud leviter pugnare videntur.

37. Qui enim Mundum Qualitatum solummodo ratione interiturum contendunt, Davidem sequi videntur, qui de caelis asserit, fore aliquando, ut ij tanquam vestimentum veterascent, & in modum indumenti immutentur: & Apostolum, qui creaturam nunc vanitatis subiectam, aliquando à servitute corruptionis liberatum iri: & ἡμεῖς saltem, figuram huius mundi praeiturum, pronunciat Ps. 102. 27. Rom. 8. 20. & 21. 1. Cor. 7, 31.

38. Qui verò Mundū καὶ ἔσχατον secundū substantiā per φθορὰν interiturum statuunt, expressis etiam insistent Scripturarum testimoniis, quae caelos perituros, & transituros affirmant: quaeq; ita caelum & terram à conspectu eius, qui sedet super thronum, fugisse testantur, ut locus non amplius eis sit inventus: imo ut Caelum & terra planè abierit, & mare jam non sit. Ps. 102, 27. Luc. 21, 33. Apoc. 20, 11. 21. 1.

39. Nos statuimus litem hanc ἐπι τῷ Χρῆ Christianā rectissimè posse dirimi, quippe quae eius decisionem rectius ex sensu futurae experientiae, quàm ἐκ ἐξεί divinatione petendam esse, persuasum habet.

40. Posterior tamen sententia magis videtur Scripturis consentanea, ut quae transitum hunc mundi